

# EPISTULA LEONINA

## CCXXII

HEBDOMADALE  
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CCXXI** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.


EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**DUCENTESIMAM VICESIMAM SECUNDAM (222) !**

## ARGUMENTA

<b>PRAEFATIUNCULA IN NOVUM ANNUM SCRIPTA.....</b>	<b>02-05</b>
DE ANNO VETERE ET ANNO NOVO.....	06-07
CHRONOGRAMMATA PATRIS DOUTEIL.....	08-11
CHRONOGRAMMATA IOHANNIS DEMMING.....	12
EPISTULA THEODERICI SACRÉ PRAESIDIS ALF.....	13
INVITATIO ACADEMIAE MOSCOVIENSIS.....	14
<b>ORBIS PICTUS HEXAGLOTTUS.....</b>	<b>15</b>
PECUNIA DIGITALIS (Urbanus Ferrarius).....	16-17
CAMUS SEU FISCELLA QUAE INSTRUMENTUM SIT.....	18
DE PANDEMIA QUAE DIXERIT SUEBUS SCAEVOLA.....	19-25
DE VITA BEATA (Maupassant/ Knijff).....	26-32
EMENDANDA.....	33
LAUS FRAGRANTIAE LATINAE.....	34
AMPLEXUS FATALIS.....	35
LIBRI LEONIS LATINI.....	36-39
<b>VOTA IN ANNUM INEUNTEM OBLATA.....</b>	<b>40</b>

## LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS SAL.PL.DIC.

SARPEREN



### **Cara Lectrix, Care Lector,**

**utinam annum ineuntem faustis ominibus incohaveris!**

**Quidnam nobis novus annus est allaturus?**

**Gubernantes nobis affirmant vaccinationibus mox fieri posse, ut solitum modum vivendi recuperemus. Num fatali vaccino venae nostrae iniecto etiam recuperabimus**

libertatem desideratissimam? Hoc credat Iudaeus Apella, non ego! Gubernantes et medici gubernationi industriaeque pharmaceuticae obnoxii cerebris nostris cottidie inculcant magnâ cum vehementiâ vaccinationes coronarias esse saluberrimas et maximê necessarias. At sunt alii medicinae periti, qui dicant contraria! Qui monent nos, ne fiamus cuniculi experimentales<sup>1</sup>. Cui credamus? Quis dicit verum, quis mentitur? Recordemur illam quaestiunculam Ciceronianam veritatis indagatricem: CUI BONO?

Qualis erit annus bis millesimus vicesimus primus (MMXXI)? Nuper vidi gryllum<sup>2</sup>, in quo pictus erat grex ovium in pascuis gramina carpentium; quarum lana erat coloris candidi, exceptâ unâ ove, quae fuit nigra. Omni ovi inscriptus erat numerus anni. Numerus anni 2020 inscriptus erat pelli ovis nigrae!

Nunc equidem studeo augurari, qualis futura sit illa ovis, cui inscriptus erit numerus anni 2021. Hoc torquet ingenium meum.

Quonam colore erit lana illius ovis? Num illa ovis hâc anno exeunte pelle candidissimâ induta bene saturata laetê saltabit per pasqua?

Utrum adhuc habebit lanam an omnino detonsa erit et glaberrima? Utrum ei ista masca orinasalis, quod est neque remedium utile neque salubre, sed instrumentum

---

<sup>1</sup> <https://www.openpetition.de/petition/online/gegen-eine-corona-impfung-eine-initiative-von-prof-dr-bhakdi>  
<https://www.wodarg.com/impfen/> <https://www.epochtimes.de/politik/ausland/ex-vizechef-von-pfizer-warnt-vor-massenimpfung-es-ist-nur-eine-notzulassung-a3405939.html>  
<https://www.epochtimes.de/gesundheit/studie-ungeimpfte-erkranken-zwar-haeufiger-an-corona-aber-geimpfte-viel-schlimmer-a3415181.html>  
<http://www.pi-news.net/2021/01/nach-corona-impfung-fuenfmal-so-haeufig-schwere-krankheitsverlaeufe/>  
<http://www.pi-news.net/2021/01/die-corona-impfung-ist-nicht-der-retter-als-der-sie-verkauft-wird/>  
<http://www.pi-news.net/2021/01/robert-farle-entlarvt-das-politisch-instrumentalisierte-corona-dogma/>  
<http://www.pi-news.net/2020/12/heinrich-fiechtner-die-freiheit-und-die-wahrheit-werden-siegen/>

<sup>2</sup> gryllus, -ī m. *cartoon, Karikatur*. PLIN.nat.35,114.

humiliandi foedans atque suffocans, adhuc erit cottidie induenda et exuenda, an masca usu frequentissimo illius rostro semper adhaerens iam accreverit?

Num illa ovis adhuc tam libera erit, ut ei permittatur per pascua ambulare? Num ei adhuc restabit aliquid graminis carpendum? An anno exeunte misera ista ovis iam erit mactata?

Quantâcumque vitae difficultate vexabimur, cara amica, care amice, utinam ne nimium diffidamus rebus futuris, utinam ne fortunam nostram adversam exsecremur cum sale nigro bilem moventes. Carpamus diem!

Placent mihi preces *Reinholdi Niebuhr*, quas in Latinum convertam:

*"O Deus, facias animum meum tam aequum, ut patiar has res adversas, quas mutare non possim; facias tam audacem, ut illas mutem, quas possim mutare; facias tam sapientem, ut has ab illis discernam".*

Denique mihi solacio haud exiguo esse videtur sententiola illa ad arbusculam mâliferam pertinens, quae a *Martino Luthero* dicta esse dicitur:


*„Si scirem mundum cras esse interiturum, hodie adhuc sererem arbusculam mâliferam."*

Ergo seramus, cara Lectrix, care Lector, arbusculam mâliferam - ubicumque invenerimus grumulum terrae et aliquid caeli, âëris, sôlis. Maneamus curiosi et attendamus, quaenam dona novus annus nobis allaturus sit. Certê iisdem non omnia, sed nonnulla saltim intererunt bona atque salubria.

**IN NOVUM ANNUM, CARA LECTRIX, CARE  
LECTOR, TIBI EXOPTO OPTIMA QUAEQUE:  
UTINAM TU TUIQUE PROSPERĀ VALETUDINE  
FRUAMINI, UTINAM PROSPERĒ PROCEDANT  
STUDIA TUA PRIVATA ET PROFESSIONALIA !!!**

**Medullitus Te salutat  
Dr.Nicolaus Groß**

**Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,  
Die Iovis, 07. m.Ian. a.2021**

## DE ANNO VETERE ET ANNO NOVO

ANNUS VETUS: „Nunc“, inquit, „tibi concedam! Pauci tantum dies restant, post quos aderit annus novus et bene spero eum secum allaturum esse satis energiae, ut mundo efficiat tempus bonum. Equidem fatigatus sum. Mihi quidem multa fuerunt momenta temporis, pulchra et minus pulchra, laeta et miseriae plena. Vires meae sunt consumptae!“

Deinde ANNUS NOVUS misericordiâ commotus rogavit: „Quid de te? Vox tua sonat lassitudinem. Necnon quandam tristitiam. At vita est pulchra! Quae splendet lucidissimê. Quâ ego allicior.“

Tum vetus: „Tibi“ inquit „hoc est facile dictu". Vetus annus gemit, et hôc gemitu expressit omnes labores vitae suae. „Cum iuvenis essem, ego quoque cogitavi in vitâ meâ omnia fore lucidê splendida. Heu, quot consilia ceperam! Et quantum cupivi fieri annus oblivione hominum indelebilis!“

Nunc novus annus subridens dixit: „Hoc quoque mihi exopto" et promisit: „Operam dabo quam optimê, quod tu quoque fecisti“. „Quam optimê? Scisne, quid dicas hôc verbo?“ Paene visus est annus vetus dolore ululare - an ex eius verbis nihil apparuit nisi lassatio? Et îdem loqui perrexit voce submissâ: „Hoc cum nascerer etiam mihi proposueram faciendum. Eheu, quam diu hoc iam est transactum!“ Vetus annus nunc paulisper tacuit, sed deinde eidem in mentem vênit id quod illo tempore sibi dixerat ille annus valedicens, cuius tempus ipse susceperat dispensandum:

„Plurimum valent spes et caritas. Dona utramque rem hominibus, ut fias annus bonus!“ Num se hoc fecisse? Fecerat! Operam dederat. Itaque ei licuit cum bonâ conscientiâ valedicenti munus transferre. Itaque nunc novo anno dixit: „Da hominibus spem atque caritatem, ut fias annus bonus“.

„Spem et caritatem? Hae tibi sufficere videntur?“ Vox anni novi sonuit spem deceptam. „Equidem excogitaveram tot res maximê mirabiles, maximê oblectabiles, ut exornarem cursum temporum meorum. Haud libenter his abstinebo.“

„Non debebis illis abstinere, conare illa assequi, sed tenê memoriter id quod tibi dixi: Noli oblivisci et spem et caritatem.“

Vetus annus oculos clausit fatigatus paululum quieturus ante valedictionem. Paululum tantum. At ipsum hoc paululum ei iam fuit nimium. Iam iam obdormivit. Ipso quoque pyrotechnemate, quod factum est ad illius valedictionem celebrandam, annus vetus non iam est e somno excitatus, et hoc fuit bonum.

**Theodiscê scripserunt**


**Elke Bräunling & Regina Meier**

**Verlenses**

**In Latinum convertit**

**Leo Latinus**

**CHRONOGRAMMATA PATRIS DOUTEIL  
IN DIEM FESTUM EPIPHANIAE  
ARTIFICIOSE CONFECTA**



**Reges adorant Iesum infantem. Quae imago fabricata est in Vindobonensi officina aulica et ducali, a.1380/1390. Invenitur in Museo Artis Historico, photographata ab Hildegarde Schuhmann.**





Hoc artificium invenitur in Museo Victoriae & Alberti Londinensi. Quod confectum est ex osse balaenae, in Hispania boreali-orientali, ca. annos 1120-1150. Copia est artificii originalis, quod invenitur in museo missionis christianae Cruzeiro do

**2021\* sapientes Caspar, Melchior et  
Baltassar Venientes ex partibus  
orientis obtulerunt plei infanti Regi  
orbis Dona auri et thuris et vnguenti  
acerbi. –**

Die Weisen Caspar, Melchior und Baltassar, die aus dem Morgenland kamen, brachten dem Jesuskind, dem König des Weltalls, fromm Gold, Weihrauch und bittere <Myrrhen>salbe als Geschenke dar. – Die bittere Myrrhe (vom bitteren Geschmack hat sie ihren Namen) wurde zur Bereitung der Salben beim Einbalsamieren gebraucht, darum im Chronogramm „bittere Myrrhensalbe“ anstelle von einfach Myrrhe.



*Santa Maria sobre Minerva, Trastevere, Romae. Photographavit Hildegardis Schuhmann.*

**2021\* ela, Venite festinanter, Vos  
primitiae paganorum. –**

Wohlauf, eilt hurtig herbei, ihr Erstlinge der Heiden!



**Ecclesia Sancti Dionysii: Regum adoratio.**



**Breviarium Grimani, Brugae in urbe, ca. a.1515**

# **CHRONOGRAMMATA**

## **IOHANNIS DEMMING**

Gruß zur Nacht.

**MVNDVS CORONA SACRA CAECVS FACTVS**

hdf

**REMOTA IVSTITIA CVNCTA REGNA NIL NISI  
RAPACIA PRAEDATORIA LATROCINIA**

Zum 28. 11. 2020

**FRIEDRICH ENGELS PHILOSOPHVS  
INGENIOSVS SEVERVS RELIGIONIS  
ADVERSARIVS REIECTVSQVE  
PROBATVSQVE ANTE DVCENTOS ANNOS  
NATVS**

Friedrich Engels, genialer Philosoph, harter Gegner von Religion, teils abgelehnt, teils gepriesen, wurde vor 200 Jahren geboren.

# **EPISTULA THEODERICI SACRÉ**

## **PRAESIDIS ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE**

Theodoricus Sacré sodalibus Academiae optimis s.d.p.

Ante hos paucissimos dies conventiculum 'de pace' feliciter est peractum; iamque novo de conventiculo cogitamus, exeunte mense Februario vel ineunte mense Martio (anni 2021) ratione Zoomica, quam dicunt, habendo; cuius conventiculi argumentum huic tempori est convenientissimum: siquidem 'de morbis et eorum remediis' inter nos disputabimus. Si quis vestrum de eo argumento acroasin facere cupiat, moneat me, si fieri possit, ante Kalendas novi anni, addito titulo atque argumento paucis adumbrato. Utinam multi orationes proponatis! Mos autem est ut oratores per sesquihoram verba faciant. Accessus tam sodalibus Academiae quam aliis viris et mulieribus huius rei studiosis patebit; invitationes circummittentur, subiuncto nexu quo participibus erit utendum.

Accedit huc quod 'Academiae acroases menstruas' instituemus, item computatrorum ope faciendas atque excipiendas. Prima oratio habebitur anno 2021 exeunte mense Ianuario, die 30 eius mensis, hora 17.00 Bruxellensi. Orationis titulus erit 'De Ovidio Nasone poeta et eius obitu quid scripserit Nellus Martinellus'. Alteram autem orationem mense Februario exeunte habebit Christianus Laes, alter a praeside; qui est locuturus 'De Rosa Melitensi (1908-1910) sive de periodico quodam Latino'. De orationibus quae tum sequentur mox certiores fietis. Eodem autem modo ad acroases audiendas invitabimini, quo ad conventicula.

Porro colloquia quaedam percontativa meditamus, sonis et imaginibus instructa, quae eo fine habebimus, sedulo servabimus ac per rete mundanum divulgabimus, ut Academiae nostrae sodales de se, de suis studiis, de suo Latinarum litterarum amore singillatim narrent. Eiusmodi colloquiorum exempla prima mox vestris videbitis oculis. Gratissimum autem vos facturos esse scitote, si ipsi quoque, ea exempla secuti, amicos vestros, qui in Academia sunt, eo modo interrogare volueritis: proinde mihi dicitote quem sodalem velitis percontari!

His ergo fomentis litterariis et Latinis dolorem eum, in quem propter pestem hanc saevientem et sodales a sodalibus nimium diu intercludentem incidimus, aliquatenus mitigatum iri speramus.

Denique amicorum quorundam suasu vos adhortari ausim ad scribendum: exarate, amabo, existimationes librorum, relationes, narrationes, dedite vos scriptis Latinis; quae cum ad nos miseritis, sedi Academicae, quae est in rete mundano, indenda curabimus; hunc in modum sodalibus nostris optima praebebitur otii, quod cum morbo coronario videtur esse coniunctum, supellex!

Curate ut quam optime valeatis!

D. Lovanio, die 27 m. Nov. 2020.

...

# INVITATIO ACADEMIAE MOSCOVIENSIS

Alexius Scatebranus Rutenus (qui et Solopov) sodalibus doctissimis s. d. p.

Accipite quaeso epistulam nostram, qua de conuentu Moscouiae habendo agitur. Pergratum nobis facietis, si huic conuentui interesse potueritis, ut hoc saltem modo inter nos uideamus.

Interim omnes uos ut bene ualeatis precor.

--

Алексей Солопов



Academiae Moscouiensis Elisabetanae Lomonosouianae  
Schola Grammaticorum  
Vtriusque Linguae Grammaticorum Statio

119991, Москва, Ленинские горы, ГСП-1, МГУ имени М. В. Ломоносова,  
1-й корпус гуманитарных факультетов (1-й ГУМ),  
филологический факультет, кафедра классической филологии (ауд. 1026)  
classic@philol.msu.ru, grammatici.moscouienses@gmail.com

---

## Sodalibus doctissimis honoratissimis maxime reuerendis salutem.

Inuitare uos uelimus ad Conuentum XIII c.n. “De utriusque linguae grammatica et quatenus illa cum omnium gentium litteris artibusque coniuncta sit”, qui ad annum CCLXV ab Academia Moscouiensi simulque ab eius Statione Vtriusque Linguae Grammaticorum Moscouiae condita celebrandum instituitur.

Conuentus, ut nunc sunt tempora, e longinquo habebitur ope programmatis quod Zoom uolgo uocatur, a. d. III Id. Dec. et prid. Id. Dec., i. e. huius anni mensis Decembris diebus undecimo et duodecimo.

Omnia peragentur aut Latine aut Rutenice. Participes inuitantur ad acroases de quolibet argumento utriusque linguae grammaticae habendas.

Eos, qui interesse uelint, humanissime rogamus ut ante Kalendas Decembres anni MMXX nomen dent argumentumque mittant ad inscriptionem computatriciam Alexii Scatebrani Ruteni ([scatebr@mail.ru](mailto:scatebr@mail.ru)) siue Catharinae Antonetz Valdemari f. ([evantonetz@yandex.ru](mailto:evantonetz@yandex.ru)).

Valere uos omnes iubent conuentus moderatores

# ORBIS PICTUS HEXAGLOTTUS<sup>1</sup>

**CORBEIL, Jean-Claude/ ARCHAMBAULT, Ariane:**

**PONS Bildwörterbuch** Deutsch-Englisch-Französisch-Spanisch-Italienisch.

**Stuttgart** (Ernst Klett Sprachen), ed.2, a.2014

= id., **The Visual Dictionary, Montreal/ Quebec/Canada** (QA International, a division of Les Éditions Québec Amérique inc.) ed.4, a.2011.

In hōc Orbe Picto mirabili 40.000 (quadraginta milia) notionum imaginibus sunt illustrata et quinque linguis Europaeis denominata: Theodiscâ et Anglicâ et Francogallicâ et Hispanicâ et Italicâ. Provinciae rerum, quarum imagines et vocabula in Klettiani Orbis Picti paginis 1071 (mille septuaginta unâ) inveniuntur, sunt hae quae sequuntur:

**I. ASTRONOMIA – II. TERRA – III. REGNUM PLANTARUM – IV. REGNUM ANIMALIUM – V. HOMO – VI. NUTRIMENTA VII. COQUINA – VIII. DOMESTICA – IX. PLASSATIO DOMESTICA ET OPERA HORTULANA – X. VESTIMENTA – XI. INSTRUMENTA PERSONALIA – XII. ARS ET ARCHITECTURA – XIII. COMMUNICATIO ET INSTRUMENTA GRAPHEICA – XIV. TRANSPORTATIO ET VEHICULA – XV. ENERGIA – XVI. SCIENTIAE – XVII. SOCIETAS: URBS – XVIII. POLITICA – XIX. ARMA – XX. SECURITAS – XXI. VALETUDO – XXII. AFFINITAS & CONSANGUINITAS. - XXIII. ATHLETICA I - XXIV. ATHLETICA II – XXV. ATHLETICA III– XXVI. ATHLETICA IV – XXVII. ATHLETICA V – XXVIII. DISPORTUS & LUDICRA.**

Babae, quanta copia! quanta ubertas! quanta multiplicitas! Qui Orbis Pictus etiam lexicographis Latinitatis recentioris est aurifodina et cornu copiae. Nam iidem vocabulis linguarum, praesertim Romanicarum, in eodem indicatis usi saepe perfacile inveniunt vocabulum Latinissimum. En cara Lectrix, care Lector, habeas novam partem huius enchiridii singularis vocabulis Latinis ditificatam.

Nicolaus Groß

**LEO LATINUS**

<http://www.leolatinus.com/>

---

<sup>1</sup> cfr EL 163, p.5-8: VOCABULA ARTIUM ET ARCHITECTURAE (VIII); EL 185, p.21-27 (IX); 186; 187; 188; 189; 190; 191; 192; 193; 194; 195; 196.; 197. cfr indices: AUTOBIROTA & BIROTA. – FERRIVIA – NAVIS – AEROPLANUM – MACHINA – ENERGIA – SCIENTIAE – URBS – POLITICA – ARMA – SECURITAS – VALETUDO – AFFINITAS ET CONSANGUINITAS – ATHLETICA I. - ATHLETICA II. – ATHLETICA III – ATHLETICA IV – ATHLETICA V – DISPORTUS ET LUDICRA. – ASTRONOMICA – TERRA – PLANTAE .- BESTIAE – HOMO – NUTRIMENTA – COQUINA - DOMESTICA.

# PECUNIA DIGITALIS

*Symbola quam scripsit Urbanus Ferrarius Brasilianus*

Am 08.12.2020 um 21:46 schrieb Urbano dos Santos Ferreira:

Ave, Leo Latine! Spero ut hæ litterulæ salvum et incolumem te inveniant.  
Mitto tibi breve cogitatum de nuntiatione quam audivi ab auctoritatibus  
argentariis Brasilianis. Urbanus

Leo Latinus Urbano s.  
Profecto litterulae tuae me salvum et incolumem invenerunt.  
Gratias pro verbis tuis! Mox eadem publicabo. Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.

Ave, Leo noster! Antequam textum illum de digitali pecunia prodas, emendationem facias oportet: ubi scripsi «alterutro», ibi scribe, quæso, «alterutra re». Gratias. Vale semper, Leo noster. Urbanus

Per universum terrarum orbem quarundam Civitatum Argentariæ Centrales iam annuntiant et nummorum chartarumque nummariarum extinctionem et introductionem illius pecuniæ digitalis quæ nummos et chartas nummarias mox substituet.

Regalius Brasilianus, ut ab auctoritatibus argentariis iam significatur, anno MMXXII in formam digitalem convertetur. Ita fiet de Americano Dollario, de Libra Sterlingorum, de Eurone: unumquodque die constituto induet se forma digitali. Technologia adhibenda, ut videtur, similis est cryptonomismatum. Sed inter pecunias digitales publicas et cryptonomismata id maxime interest quod hæc non subiciuntur unius entis moderationi.

Singuli, vi lēgis, habebunt scrinia sua virtualia ubi digitalem retineant pecuniam. Nemo iam utetur metallis aut chartis ad res emendas. Nemo metalla et chartas domi servabit. Fures et latrones non poterunt metalla et chartas tollere. Præterea omnia pretia puncto temporis solventur.

Sed hæc pecuniæ mutatio sua secum fert incommoda: omnia negotia ex electrīde et interreti pendebunt. Alterutrâ re deficiente nulla negotiatio expedietur. Sed maximum malum nondum descripsi: potestas publica, ubicumque voluerit, poterit inspicere




non modo, quantam habeas pecuniam, verum etiam, quid facias de eâ, quid emas, a quo emas. Si ita res se habebit, quis aufugere vectigalia, tributa, taxationes poterit? Sed id quod malum videtur, aliquando in deteriorem statum dilabetur, si potestas publica te prohibeat a pecuniâ, ut fit in Sinis.

Quis petivit hanc rem?

VI Idus Decembres, anno Domini MMXX

**DE PECUNIÂ DIGITALI  
SCITĒ SCRIPSIT  
URBANUS FERRARIUS  
BRASILIANUS**

# CĀMUS SEU FISCELLA QUALE INSTRUMENTUM SIT



<http://www.zeno.org/Georges-1913/A/camus>

**cāmus, ī, m.** (κημός), *der Beißkorb, Maulkorb für Pferde u. Esel*, Itala 1. Cor. 9, 9. Vulg. psalm. 31, 9 *u.a.* Ambros. hexaëm. 6, 3, 10. – *Strafwerkzeug für Sklaven u. Verbrecher*, **Acc. tr. 302.** Hor. sat. 1, 6, 39 (audes deicere de saxo civis aut tradere camo (v.l. Cadmo). cfr **Liddell-Scott** p.947

**κημός** (Dor. Καμός, cf. εὐκαμία), *ó, muzzle, put on a led horse, to prevent it from biting*, X. Eq. 5.3; AP6.246 (Phld. Or Marc.Arg.): pl., cj. In Ph.1.698: **metaph.**, κημοὺς στόματος **muzzles or gags**, A.Fr.125. 2. nose –bag for horses, Hsch. 3. **cloth used by bakers to cover the nose and mouth**, Ath.12.548c. ...”

<http://www.zeno.org/Georges-1913/A/fiscella?hl=fiscella>

**fiscella, ae, f.** (Demin. v. fiscina), *ein aus Binsen, Eibischruten u. dgl. geflochtenes Körbchen zum ländl. Gebrauch*, Cato r. r. 88, 1. Verg. ecl. 10. 71: milii fisc., Ov. fast. 4, 743. – *bes. zur Aufnahme der Weintrauben unter der Presse*, Col. 12, 18, 2 sq. Pallad. 11, 19, 1. – *als Käseform*, Col. 7, 8, 3. Tibull. 2, 3, 15. – *als Maulkorb fürs Vieh*, Cato r. r. 54, 1. Plin. 18, 177.

<http://www.zeno.org/Georges-1910/A/Maulkorb?hl=fiscella>

**Maulkorb**, *oris vinculum*. – für die Tiere, aus Binsen etc., *fiscella*. – den M. anlegen, *alqm fiscellā capistrare*.

## **HENRICUS FIECHTNER QUAE DIXERIT DE MORBO CORONAE DEQUE CORONARIĀ VACCINATIONE**



**ECCE HENRICUS FIECHTNER SUEBUS SCAEVOLA  
MEDICUS ET POLITICUS SEXAGENARIUS FACTIONIS EXPERS  
ORATOR ACERRIMUS LINGUĀ PROMPTISSIMUS  
PROPUGNATOR VERITATIS INTREPIDISSIMUS  
ALTERIUS NE SIT QUI SUUS ESSE POTEST.**

*Henricus in quadam manifestatione coronariâ Stutgardiensis d.30  
m.Dec. a.2020 factâ dixit haec quae sequuntur:...*

...De medio tollantur omnes istae associationes supranationales corruptae! ‚Organisatio Valetudinis Mundana’ (WHO) – pereat ista organisatio! --- Oportet adhuc expectemus. – Venturi sunt adhuc multi. Gaudeo incredibiliter tot adesse in viâ – anno exeunte!

Ex anno – ex anno habemus istam insaniam! Ex uno iam anno nos capti trahimur ita ut trahuntur bestiae, quarum naribus infixi sunt anuli, per plateam ludi circensis – propter vîrus e Chinâ illatum! Ex

uno iam anno istud terriculamentum colitur atque curatur. In initio adhuc cogitavimus omnia dirigi mirabiliter. Globus politicae consensionis dixit omnia esse laetê pacata et placata. At deinde iste globus cognovit, quantum tale vîrus valeret, quantum idem valeret ad terrorem hominibus iniciendum! Iidem enim cognoverunt eodem vîro quam aptê commodêque ad effectum adduci possent consilia atque proposita propria, ut homines omnia praecepta sequerentur serviliter!

-- At nos ista non sequemur! Nos sumus boni! Nos sumus boni! Nos pugnamus pro libertate et pro iure, quo convivamus vinculo pacis et amoris et caritatis coniuncti! Quod ius ad veritatem adducemus pro civibus omnibus. Fortasse nihil sumus nisi pusillus grex, sed circumspiciens miror, quod adversus tempestatem parum bonam, adversus istas condiciones marginales quarantenaë generalis et tutamenti oralis, distantiae coronariae eqs., adsunt bellulê multi! Necnon spero manifestatores fore in dies plures. Nos enim sumus sal sorbitioni inspergendus. Nos sumus ii, qui lumen teneant sublatum. Iesus autem successoribus suis dicit: *Vos estis lumen mundi* – et lumen et veritas artê inter se cohaerent. Non licet nos umquam oblivisci nobis aliquid mandatum esse: ut veritatem teneremus maximê aestimandam, ut homines, miseri homines, qui dorsis flexis, oribus laciniatis huc illuc repentes se supprimi sinunt, qui torquentur, qui non audent alios amplecti, qui seniores relinquunt solissimos, qui sinunt liberos suos vexari laciniis orinasalibus in frigidis oecis scholae sedentes, ut hos homines miseros veritatis indigentes veritate imbueremus – hoc est nobis mandatum! Nam veritate liberabimur. Iesus enim dicit clarissimê: *Veritas nos liberabit!* Mendacium numquam constabit, non rêfert, a quo sit effictum, neque rêfert, utrum effictum sit ab *Angelâ Merkel* an a *Iohanne Spahn* an a *Vinfrido Kretschmann* an ab associationibus quibuscumque, hoc non rêfert. Neque vi militari neque ab istis institutionibus veritas potest supprimi. Veritas vincet et mihi persuasum est veritatem et libertatem his mensibus proximis denuo victoriam parituras esse! – At isti adhuc conantur veritati adversari: Nunc venit Organisatio Valetudinis Mundana (*WHO*), ista congeries merdulea, ista taberna execrabilis, quae digna est, ut pulvere pyrio displodatur! Equidem laudo *Donaldum Trump*, qui reliquerit istam speluncam latronum! Nunc istius organisationis praeceptores novâ ratione definiunt notionem

immunitatis medicinalem. Huncine nuntium iam accepistis? Isti iam aliquando novâ ratione sibi gratissimâ definiverant notionem *pandemiae* – ita, ut subito morbi alicuius acritudo vel gravitas nullo iam modo respiceretur.

Nunc autem immunitas medica non iam est id quod homo adipiscitur ita ut animal more humano vivens, id est eo quod aetate puerili harenam manibus perfodiens sordescit aut cochleam ori ingerit aut ramulum calcit, ut laedatur assulâ corpori infixâ, aut circumdatur variis hominibus tussientibus - talia enim patitur homo nec tamen moritur. Talis autem immunitas prius appellabatur *immunitas gregalis*. Equidem talem immunitatem adeptus sum eo quod solito more communi incidebam in germina periculosa, quae ubique circumvolitant – corpus meum eandem adeptum est. Ego ipse etiam aliquid contuli ad immunitatem adipiscendam – comêdi nutrimenta salubria, non nimis multum potavi, non nimis multum fumavi, studui vitam agere probam, sumpsi vitaminum D – quod ceterum commendo.

Itaque vir iam sexagenarius adhuc vivo. Haec est immunitas, haec est res, quam nobis donavit creator noster. At nunc veniunt praeceptores istius *WHO* – et inde apparet, quam corrupta, quam scelestâ iam pridem sit ista organisatio. Quid est, cur nesciamus istius globi consensionis negotia scelestâ recordati tempora illius *influentiae porcariæ*, ubi *Dominus Dr. Wolfgang Wodarg* demonstravit, quam corrupta negotia ibi fierent.

Nunc autem fiunt res illis persimiles: Nunc ultro immunitas non iam dicitur fieri ratione naturali, sed nonnisi vaccinatione. At istaec res non efficitur nisi duabus de causis: cum studio scelesto talem rem ad effectum adducendi, id est fraude atque mendacio, tum praecipuê stultitiâ quadam infinitâ. Et hoc praecipuê dico de collegis meis medicis, qui alioquin perquam criticê omnia perquirendo perscrutantur necnon de associationibus medicinalibus aerariorum comparsorum – omnes in istâ re colludunt.

Affirmo autem vobis me iam minas accepisse: Accepi enim litteras, quibus accusor me denegare vîrus coronae. Nequaquam hoc denego. Sunt quidem vîra coronae – sed oportet sciamus vîrus covidianum

illud undevicesimum vîrus non esse valdê periculosum. E.g. vîro covidiano non efficiuntur meningitides – aliter ac nonnulla vîra coronae alia. Hoc sciamus, si huic rei studeamus cognoscendae. Necnon id quod etiam homines scire possunt: non ritê et probê fieri posse, ut adhibeatur vaccinum rationis efficiendi penitus novae, quod nemo umquam ubique terrarum potuit per longius tempus experiri. Et is qui scit annis sexagenariis adhibitum esse medicamentum *thalidomidum* sive *conterganum* (quo a mulieribus gravidis sumpto permulti infantes nati sunt bracchiorum expertes) – ego ipse cum natus sim a.1960, non sum contergano afflictus – sed illo tempore homines intellexerunt omnino non permittendum esse, ut adhiberentur medicamenta nisi quam accuratissimê probata. Inde ex illo tempore oportet clarê sciamus novum medicamentum ritê non inveniri et fabricari posse nisi satis longo tempore. Hac autem re ritê perpensâ stupefactus et ingenti irâ incensus sum videns medicos collegas meos, qui in centris vaccinandi celerrimê exstructis prompti paratique operam suam dant ad ministerium turpissimum eo quod homines commodis verbis deleniunt, ut vaccinationem subeant, de qua nemo ullo modo sciat dicere, utrum quoquo modo prosit neque ullus dicere scit, num eâdem vaccinatione fortasse efficiantur detrimenta magna atque gravia. Nemo hoc scit dicere neque medico hoc licet! At si qui medicus istud facit, is violat omnia officia et principia, quae spectant ad munus suum. Praeterea commemorandus est *Uvius Jansen* medicus – fortasse heri eum vidistis cum *Nicolao Kleber* in emissione televisoriâ loquentem. Equidem non possum, quin quaeram: Quantum is pecuniae accepit, ut tantum terroris panici hominibus iniceret? Quis isti medicastro pecuniam dat? An in televisorio homines terrere non desinit nullâ aliâ causâ quam nimio amore et admiratione sui ipsius? An nihil est nisi pravitas atque malitia, quâ iste vir commoveatur? Tales furciferi oportet in ius vocentur, ut rationem reddant facinorum suorum. Equidem postulo, ut ius et iustitia redintegrentur. Interdum autem non multum abest, quin desperans lacrimem. E.g. nuper eiectus sum e tabernâ pistoriâ. Si autem homines aspicio mascis indutos, animo suppressos, omnia praecepta verniliter sequentes, animus meus contristatur. Eo maioris momenti est nos congregari, ut omnes videant se non sôlos esse. DIXIT.

## HENRICI FIECHTNERI ORATIO PHILIPPICA IN REMEDIA CORONARIA VACCINAQUE HABITA

»Aptum vaccinum non invenitur excoliturque nisi per annos multos!«



Ecce **Henricus Fiechtner** orator acerrimus libero semper ore loquens vi e parlamento Stutgardienti aufertur ab astyphylacibus, quia noluit sequi praeceptum praesidentissae parlamenti Badenio-Virtembergensis. Eadem mulier prasinae factionis legata, stirpis Turcicae, cui nomen est *Muhterem Aras*, Henricum iusserat orationem suam finire et pulpitum relinquere.

*Domina Praesidens, Dominae Dominique maximê honorabiles,  
Ceteri Homines ab A usque ad Z,*

ingens ista vis nuntiorum falsorum, ista chorea vexationum malitiarumque sanê intellegi non potest nisi earum ipsâ falsitate. Et perquam triste est exemplum Christianae Partis Democraticae - doleo, *Domine Haser* – error eius primus spectat ad Familiam Sanctam, eoque errore apparet, quantulus sit status mentalis istius partis politicae hodiernus. Nam Sancta Familia non sôlum constitit ex tribus tantum hominibus (qui fuerunt quodammodo familiae nucleus), sed etiam pastores adfuerunt, qui ex campo, et tres magi, qui e regione orientali advenerant: Clarê patet eosdem condicione hodiernâ valente Iesum non iam posse visitare.

Deinde lamentamini de hominibus mortuis, dissimulatis animorum commotiones. At istae lamentationes aut sunt stultae aut paranoideae aut malevolae. Nam quis meminit multorum, qui effectu praeceptorum ad pandemiam coronae spectantium mortem sibi consciscunt, aliorum, qui se proiciunt in orbitas ferriviarias, ut tramine obterantur, aliorum, qui sectione chirurgicâ ommissâ moriuntur cancro aut infarctu myocardiî aut alio morbo, – ergo lamentationes vestrae nihil sunt nisi merissima simulatio et dissimulatio!

Seniores autem in gerontocomiis relinquuntur solissimi, ibique discrepant in conclavibus suis et intermoriuntur miserrimê, quia necessariis et familiaribus non licet visitare. Ne in funere quidem licet adesse – istaec omnia propter praecepta vestra coronaria insanissima!

Discipuli parvuli excluduntur et molestantur, ad fenestram ponuntur, si non patiuntur mascam gerere.

Nunc autem datur spes vaccinationis. Quaenam insania vesanitasque nobis narratur? Ipse *Dominus Wieler* dicit: ‚*Nescimus, quando vaccinatio ventura sit, quos habitura sit effectûs secundarios, sed certum veniet!*’ Quaenam istaec est sententiola stultissima et procacissima? Aptum vaccinum non invenitur excoliturque nisi per annos multos, neque ullo modo scimus, nonne numerus patientium oncologicorum (*i.e. morbo cancro laborantium, adn.*) hac vaccinatione generis novissimi vehementissimê augeatur (quod si fiet, mihi ipsi commodo erit, quia plures mihi erunt curandi).

Agitur ergo hęc loco de fraudatione malevolâ, de vexatione sadianâ corporisque violatione, de hominibus causâ maximê dubiâ captis et inclusis. Denique spero *Dominum Trump* tamen mansurum esse praesidem finemque impositurum esse isti insaniae, istis nuntiis falsis istique politicae diabolicae, ut nobis tandem liceat ritê rectêque celebrare Natale Domini.



**HAEC DIXIT**

**HENRICUS FIECHTNER**  
**DOCTOR MEDICINAE**  
**ET**  
**LEGATUS PARLAMENTI**  
**BADENIO-VIRTEMBERGENSIS**

**FACTIONIS EXPERS.**

**QUAESTIO GRAVIS QUAE**  
**IN SESSIONE HODIERNĀ TRACTABITUR:**  
**QUO USQUE TANDEM NOBIS LICEBIT**  
**COGITARE?**

## DE VITA BEATA

*Narratiuncula amoris a Guidone de Maupassant narrata*

*dataque in lucem a.d. 17 Kal. Apr. 1884*

*anno 136 post a Johanne Knijff in Latinum conversa.*

Johannes Batavulus Leoni suo s.p.d.

En, mi optime Leo, alteram illius Guidonis narratiunculam non nimis longam (vix MD verborum) ad te mitto togatam, duobus quidem modis electronicis; ecce praeterea nexus ad versionem auctoris, Francogallice scilicet scriptam.

Mea quidem sententia fabula – quamvis veri fortasse dissimilis – est pulcherrima, ut quae vix oculum lectoris siccum manere sinat. Valde scilicet mihi honori esset, O maxime Leo, si versionem meam in *Epistula* tua *Leonina* publicare velles.

--

**Dr. Jan-Piet Knijff**

Attendre et espérer.–Le Comte de Monte-Cristo

Fata viam invenient aderitque vocatus Apollo.–Vergilius

I had no idea that such individuals did exist outside of stories.

–Dr. John Watson (about Sherlock Holmes)

Regnare nolo, liber ut non sim mihi!–Phaedrus

«Rendez-moi, lui dit-il, mes chansons et mon somme,

et reprenez vos cent écus».–La Fontaine

Wer das, was schön war, vergisst, wird böse;

wer das, was schlimm war, vergisst, wird dumm.–Erich Kästner

Hora fuit theae sumendae, antequam lucernae accendi solent. Villa mare superabat; sol occidens caelum reliquerat roseum, aureo pulvere sparsum; mare Mediterraneum, undâ nullâ, nullâ turbatum aurâ, lêve, fulgens adhuc die iam moriente, speculum visum est politum, immensum. Procul in parte dextrâ montes serrati formam suam nigram delineaverunt super luridam purpuram discumbentes.

De amore sermo, de illo argumento antiquissimo disputatum erat, repetita quae iam saepe antea dicta. Dulcis crepusculi melancholia tardavit verba, affectum quendam animis infudit; atque vocabulum illud amoris, iterum iterumque repetitum, nunc forti voce virili, nunc muliebri pronuntiatum, visum est replere atrium parvum, velut avis lusitare, velut spiritus huc illuc volitare.

Fierine posset ut aliquis amaret per plures continentes annos?

“Etiam,” quidam praetendebant.

“Minimê,” affirmabant alii.

Discrimen facere casuum, statuere terminos, exempla praebere; atque omnes, mulieresque virique, memoriarum emergentium turbantiumque pleni, quas ad labra ascensas velut exempla afferre potuerunt, animis commotis esse videbantur, loquebantur de eâ re vulgari augustâque, de consensu dulci arcanoque inter binos mortales, affectu quodam profundo animoque ardenti – cum subito aliquis, oculis procul defixis, “Babae!” exclamavit. “Illuc spectate! Quidnam est illud?!”

Procul super mare ingens moles surgebat cana confusaque. Mulieres surrexerant rem aspectum inopinatum, nunquam antea visam, quam intellegere non valebant.

“Corsica est!” aliquis. “Quae hîc modô bis terve in anno videri potest, quibusdam insolitis condicionibus caeli datis, cum aër, limpiditate quadam perfectâ, iam non occultat eam nebulis aquosis quae velare solent longinqua.”

Aspexerunt confusê summos montes, nives cognoscere crediderunt culmina tegentes, atque omnes obstupefacti, turbati, paene perterriti sunt specie illâ terrae necopinâtâ, illo phantasmate e mari exorto. Fortasse tales mirae visiones iis apparere consuerant qui – sicut Columbus ille – profecti sunt trans oceanum inexploratum.

Tum senex quidam, nihil adhuc locutus, sic orsus est: “Ecce, olim cognovi in illâ insulâ, quae surgit coram nobis velut ipsa responsura ad ea de quibus collocti sumus meque monens de singulari memoriâ – olim cognovi illic admirabile amoris constantiae exemplum, amoris improbabiliter felicis. Ecce fabula.

“Abhinc quinquennium iter feci Corsicanum. Illa insula inculta minus nobis nota atque longius a nobis abest quam America, quanquam interdum – sicut et hodie – e litore Galliae cerni potest.

Mundum fingite adhuc Chaos, turbam montium quos angustae dividunt fauces quas amnes interfluunt; nulli campi, sed saxorum

vastitas ingentesque undae terrenaе, virgultis aut altis castanearum pinorumve silvis tectae. Virginalе solum, incultum, desertum, hîc illic vico apparente, cumulo saxorum in summo monte simili. Agricultura nulla, nulla fabrica, nihil artis. Nusquam culta silvae pars, nusquam fragmen lapidis sculptum, nunquam memoria sensûs sive puerilis sive exculti maiorum elegantium rerum pulchrarumque. Hoc ipsum vel maximê offendit in illâ terrâ superbâ durâque: nullam exstare curam hereditariam tales formas investigandi illecebrosas, quod quidem ‘artem’ appellamus.

Italia, ubi quodque palatium, magnorum artis operum plenum, et ipsum magnum est artificium, ubi marmor, lignum, aes, ferrum, metalla lapidesque demonstrant ingenium hominis, ubi res antiquae vel minimae antiquis in domibus passim iacentes patefaciunt illam divinam gratiae curam – Italia sacra patria est nobis, quam amamus, quod labores, magnificentiam, virtutem, triumphum tandem naturae creatricis nobis ostendit probatque.

Contra Corsica saeva remansit sicut initio saeculi fuerat. Incolae eius vitam degunt in domo rudi, nihil curantes de iis quae non pertinent ad vitam ipsam aut ad rixas familiares. Cum omnibus mendis commodisque incultarum gentium remanserunt, violenti, asperi, inconsideratê sanguinarii; contra hospitales, liberales, fideles, ingeniosi, aperientes ianuam viatoribus, fidamque reddentes amicitiam pro minimo benevolentiae signo.

Quattuor iam septimanas eam insulam magnificam pererrans in ultimis terris me credidi. Nulla deversoria, cauponae nullae, nihil viarum. Per mulorum semitas ad viculos pervenias in clivo montium suspensos, abrupta superantes tortuosa unde audis vesperi sonum continuum, vocem amnis surdam profundam. Ianuâ domûs pulsâ rogas ut pernoctare tibi liceat, ut paulum cibi tibi detur quo vivas in proximum diem. Considis in mensâ humili, sub humili tecto dormis; mâne dextram das hospiti ad fines vici te ducenti.

Quodam igitur vespere, itinere decem horarum confecto, casam attigi parvam, prorsus solam stantem in ultimâ valle angustâ, vix mille passuum illinc in mare se proiectorâ. Duo clivi montium dumeto, saxis fractis, arboribus grandibus operti, quasi moenia tenebricosa

fauces claudebant tristissimas. Circum casulam vites aliquot, hortulus, paulo remotiores nonnullae castaneae grandes, vitam sustentantes, divitiae hac in terrâ egenti.

Mulier excipiens me anus erat severa mundaque, extra ordinem. Vir sedens in sellâ harundineâ surrexit me salutatum, dein iterum consedit ne verbum quidem locutus. Socia eius ‘Ignosce illi,’ inquit; ‘nam surdus est. Tertium et octogesimum iam agit annum.’

Gallicê locuta est veluti in continenti nata. Miratus sum.

‘Num Corsicana es?’ rogavi.

‘Immo continentales sumus,’ respondit. ‘At quinquaginta iam annos hîc habitavimus.’

Angor me cepit et metus cogitantem de annis quinquaginta in isto carcere obscuro exactis, tam procul ab oppidis quae incolunt mortales. Sene pastore reverso unicum cenae ferculum comedebatur, puls crassa ex pomis terrestribus, larido brassicâque unâ coctis facta.

Cenâ brevi finitâ ante ostium consedi, corde oppresso melancholiâ tristium locorum, quadam amplexus anxietate quae capere solet viatores quibusdam vesperis tristibus, quibusdam locis desertis. Quibus omnia interire videntur, vita, universum. Sentitur subito atrox vitae miseria, omnium hominum secessus, omnium rerum nihilitas, nigra solitudo animi lallantis suasque ipsius cunas moventis atque somniis errantis usque ad mortem.

Anus iuxta me consedit atque cruciata istâ curiositate quae vivere solet in imis animis vexatissimis ‘Tute igitur,’ inquit, ‘e Galliâ oriundus?’

‘Sum, iter facio animi gratiâ.’

‘Lutetiae fortasse natus?’

‘Non, sed Nanceii.’

Visa est mihi moveri sensu quodam extraordinario. Quomodo hoc viderim – vel potius senserim – omnino ignoro.

Iterum voce lentâ ‘Nanceiine?’ illa.

Vir in limine apparuit, immobilis, ut solent surdi.

Rursus illa: ‘Non rêfert. Nihil audit.’

Dein, post punctum temporis: ‘Nanceienses igitur tibi nôti?’

‘Sanê quidem, paene omnes.’

‘Santallaetia gens?’

‘Perbene eos novi; patri meo amicitia iuncti sunt.’

‘Quod tibi nomen?’

Nomen dico meum. Torvis oculis me aspexit, tum voce illâ submissâ quam excitare solent memoriae ‘Ita vero,’ inquit. ‘Bene memini. Et Brisemarii, de illis quid factum?’

‘Omnes mortui sunt.’

‘Doleo. Sirmontii tibi nôti?’

‘Sunt. Minimus natu dux exercitûs factus est.’

Tum affectu angoreque et nescioquo sensu confuso potenti sacro tremens, nescioquâ necessitate coacta confitendi, dicendi omnia, loquendi de rebus quas hactenus in imo corde servasset, de hominibus quorum nomina animam eius everterint ‘Etiam,’ inquit. ‘Henricum Sirmontium. Haud ignoro. Nam frater est meus.’

Stupens miraculo rei oculos ad illam levavi. Subito memoria vênit in mentem. Fuerat olim ingens flagitium in Lotharingiâ nobili. Puellam pulchram divitemque, Susannam Sirmontiam, abduxerat optio legionis cui imperabat pater eius.

Pulcher fuit adolescens, agricolarum filius, tamen ornatu militari haud ineleganter indutus, miles ille qui seduxerat filiam praefecti sui. Procul dubio illa eum viderat, animadverterat, amaverat aspiciens agmen per urbem progrediens. At quomodo cum eo collocuta erat,

quomodo convenire potuerant, quomodo inter se intellexerant? Quomodo ausa erat amorem illi confiteri? Hoc numquam innotuit.

Nihil divinatum, nil praesensum. Quodam vespere, stipendiis emeritis, miles evanuit cum eâ. Quaesiti sunt, reperti non sunt. Nullo nuntio novo accepto pro mortuis sunt habiti.

Illam autem mulierem ego sic inveneram in hac valle sinistrâ.

Meâ igitur vice ‘Ita,’ inquam, ‘bene memini. Dominula Susanna es.’

Nutu capitis ‘sum’ dixit. Lacrimae de oculis sunt lapsae. Tum, senem immobilem in limine casae stantem oculis indicans, ‘Eccillum,’ inquit.

Intellexi eam adhuc illum amare, adhuc spectare illum oculis suis illecebrosis.

Rogavi: ‘Fuistine felix saltem?’

Voce ex imo corde venienti ‘Immo maxumê,’ respondit. ‘Nimum felix. Omnium felicissimam me fecit. Nullius unquam rei me paenituit.’

Illam intuitus sum, tristis, stupefactus, miratus vi amoris! Illa virgo dives secuta erat istum hominem, istum agricolam. Ipsa agricola facta vitam degerat elegantiarum expertem, nullâ luxuriâ, nullâ subtilitate; ad mores simplices se accommodaverat. Atque adhuc illum amavit. Rustica facta est, mitrâ indutâ tunicâque lintreâ. Pulsem e brassicâ et pomis terrestribus et larido factam comedere solebat e catino fictili in mensâ ligneâ posito, sellae harundineae insidens. Dormivit iuxta eum in strato stramineo.

Nihil unquam cogitaverat nisi de illo. Non paenituerat eam ornamentorum, neque vestimentorum, neque elegantiarum, neque mollitiae sellarum, neque caloris suavis cubiculorum velis implicatorum, neque dulcedinis plumarum lecti, quibus corpora immergi solent requietum. Illo tantum viro opus erat huic mulieri; illo praesente nullâ unquam indiguit re.

Eadem aetate perquam iuvenili reliquerat vitam mundumque et eos a quibus educata, a quibus amata erat. Venerat sôla cum illo ad istas fauces incultas. Fuerat ille ei omnia, omnia quae cupiverat, omnia quae somniaverat, omnia quae exspectaverat continenter, omnia quae speraverat sine fine. Ille vitam eius a carceribus usque ad calcem impleverat gaudio.

Beatior esse non potuerat.

Totâque nocte, audiens animam raucam senis militis in grabato iuxta illam collocatus quae eum erat secuta tam procul, cogitavi de hac mirâ fortunâ simplicîque, de eâ vitâ tam beatâ, tam paucis paratâ.

Sole oriente profectus sum binis coniugibus senibus datâ dextrâ.”

Conticuit narrator. Mulier quaedam “Nihil,” inquit, “ad rem.

Illa mulier vitae speciem secuta est nimis simplicem, illius necessitates indigentiaeque fuerunt nimis simplices. Certe illa fuit stulta.”

Alia autem “Quid,” voce lentâ, “rêfert? Beata fuit.”

Atque procul in horizonte Corsica, nocte absumpta lentê in mare rediens, magnam umbram suam erasit, quae apparuerat velut ipsa narraret fabulam de duobus humilibus amantibus quibus litus suum dederat refugium.

## **DE VITA BEATA**

*Narratiuncula amoris a Guidone de Maupassant narrata*

*dataque in lucem a.d. 17 Kal. Apr. 1884*

*anno 136 post a Johanne Knijff in Latinum conversa.*

*Titulus originalis est “Le bonheur”.*



## **EMENDANDA**

Die 05.m.Oct. a.2020 h.10:09 scripsit Victorius Ciarrocchi:

**Victorius Nicolao suo sal. plur. dicit.**

In Epistula Leonina 221 lectu vere digna, duo vocabula inveni, quae ni fallor emendanda sunt:

A) Pag. 14, linea 24: «a mense Octobrem» fortasse emendandum est in 'Octobri'. B) Pag. 21, linea 16: non «allicebatur», sed rectius: 'alliciebatur' scribendum esse putaverim.

Optime valeas, Nicolae.


**Nicolaus Victorio suo salutem plurimam.**

Summas gratias tibi ago, care sodalis, quod tam accuratê pagellas meas lectitavisti!

Emendationes tuas proximâ in Epistulâ Leoninâ futurâ indicabo.

Vale semper, optime Victori. Medullitus te salutat Nicolaus.

## LAUS FRAGRANTIAE LATINAE



Thu, 10 Dec 2020 03:42:58 +0000 (UTC)

Sehr geehrter Herr Dr. Groß,

Hiermit würde ich Sie informieren, daß "Fragrantia" bei mir angekommen ist.

Das Buch ist mit einem einmaligem Sprachgefühl meisterhaft übersetzt und mit Liebe gemacht.

Vielen Dank für die schöne Postkarte. Ich wünsche Ihnen fröhliche Weihnachten und verbleibe mit freundlichen Grüßen,

Ivan Herasym  
Ottawa, ON  
Kanada

i.e. Latine:

Domine Dr. Groß maxime honorabilis,  
te certiore facere velim "Fragrantiam" mihi allatam esse.

Hunc autem librum excellenter in Latinum convertisti cum sensu singulari subtilitatum sermonis necnon cum amore.

Multas gratias ago pro pulchra chartula cursuali.

Laetum Natale Domini tibi exopto. Humaniter te salutatur Ivanus Herasym civis Ottawae Canadensis.

# AMPLEXUS FATALIS



## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.*

## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mand a-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS-LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	<b>FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA</b>	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	<b>FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles</b>	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	<b>TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM</b>	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	<b>ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE</b>	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	<b>ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles</b>	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	<b>MEMENTO MORI</b>	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040 A	978-3-938905-17-3	<b>MEMENTO MORI – Libri audibiles</b>	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	<b>DE CRAMBAMBULO</b>	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	<b>DE DINOSAURIS</b>	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	<b>SUDATORIUM VENERIS</b>	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	<b>PERICULUM FRANCISCI</b>	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	<b>NUPTIAE ABDERITANAE</b>	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	<b>TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN</b>	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	<b>DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO</b>	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	<b>FABELLAE GRIMMIANAE 1</b>	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	<b>ROMULUS MAGNUS</b>	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	<b>DE THILO CUSTODE FERRIVIAE</b>	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	<b>HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)</b>	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	<b>WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT</b>	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – <b>Libri audibiles</b>	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	<b>AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE</b>	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	<b>DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIIUM</b>	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – <b>Libri audibiles</b>	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – <b>Libri audibiles</b>	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90

28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

# VOTA IN ANNUM MMXXI FERENDA



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR,**

**IN ANNUM MMXXI INEUNTEM**



**LEO LATINUS  
OPTIMA QUAEQUE TIBI EXOPTAT.**





**HANC EPISTULAM LEONINAM**  
**DUCENTESIMAM VICESIMAM SECUNDAM**  
**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



**QUAESTIO GRAVIS QUAE IN SESSIONE HODIERNĀ TRACTABITUR:  
 QUO USQUE TANDEM NOBIS LICEBIT COGITARE?**

**Die Iovis, 07. m. Ian. a. 2021**

**Dr. Nicolaus Groß**  
 Sodalis Academiae Latinitati Fovendae